DISPUTATIONUM FEUDALIUM SECUNDA DE PERSONIS FEUDA DANTIBUS ET ACCIPIENTIBUS...

Johannes Thomas Cludius, Heinrich Henning, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

VIRO

NOBILISSIMO, GENEROSO ET MAXIME STRENVO

D N.

IOHANNI EBERHARDO STÆDING, ILLVSTRISSIMI ac celſiſſimi Principis ac Domini Dn. GEORGII Brunſvvicenſium ac Luneburgenſium Ducis Aulæ Mareſchallo & Conſiliario intimo, Hæreditario in Oldenroda,

Domino Patrono meo omni animi obſervantiâ æviternùm venerando.

Diſputationem hanc feudalem debitæ gratitudinis & ſtudiorum ſuorum ulterioris commendationis

ergo

Dedicat

Autor & Reſpondens.

DISPVTATIONVM FEVDALIVM

SECVNDA

De

PERSONIS FEVDA DANTIBVS ET ACCIPIENTIBVS.

THESIS I.

DIctum eſt Diſputatione primâ de feudorum origine, compilatoribus, authoritate, Etymologiâ, definitione ac diviſionibus: conſequens eſt ut de Perſonis feudum dantibus & accipientibus nunc agamus: parum enim eſt jus noſſe, *ut ait Iuſtinianus, §. fin. Inſt. de iure N. G. & C.* ſi perſonæ, quarum causâ conſtitutum eſt, ignorentur. Continuatio.

II. Et ut legitimè à nobis procedatur, exponemus primò perſonas feudum dantes, quibus illas quæ feudum accipere poſſunt, ſubjungemus. 1. Sunt quædam perſonæ quæ feudum dant.

III. Duo autem ſolent quæri de perſonis quæ feudum dare poſſunt: quorum alterum eſt de perſonarum iſtarum appellatione: alterum quænam ſint illæ perſonæ quæ feudum concedere poſſunt?

IV. Appellantur autem perſonæ feudum dantes Domini *l. F. 1. §. & quia videmus*: quia rei in feudum datæ Domi- Perſonæ feudũ dantes quomo

Dominium & proprietatem retinent, & ſolum uſumfructum feudi nomine in alterum transferunt: vel hoc fit honoris causâ, quia fides & ſervitia ipſis à Vaſallis debentur *teſte Hottomanno de verbis feudal. in voce Dominus.* Seniores *1. F. 17. 18.* non ratione ætatis, ſed ex eadem honoris cauſa. Patroni: Præpoſiti: Germanicè Herren/Lehnherren.

V. Et ſunt regulariter omnes perſonæ habiles ad feudum dandum quæſunt rationis compotes, quæque rerum ſuarum ſunt Domini, liberamq; habent adminiſtrationem *2. F. 3. pr. arg. L. in re mandata, C. mandati. Roſenthal. c. 3. concl. 2.*

VI. Diſpeſcimus autem perſonas feudum dantes in Eccleſiaſticas & Seculares: quia autem Eccleſiaſticæ ſeculares dignitate præcellunt, de illis primò dicendum.

VII. Ex his quædam ſunt in dignitatis gradu ſummo; quædam in medio; quædam in infimo.

IIX. Ad ſummum gradum referendus eſt Pontifex ſiue papa: unde dicatur vide apud *Iohan. Borchold. de feudis pag. mihi 195.* Ideò autem feudum concedere poteſt, quia in rebus Eccleſiæ plenariam dicitur habere diſpoſitionem, *c. licet Eccleſiarum 2. de prebend. & dignit. in 6. clementina ſi duobus 1. in fine. ut lite pendente nihil innovetur, Alvarott. 1. F. 1. Schrader. p. 4. c. 2. n. 4.*

IX. Duplici autem ex fundamento an Pontifex feudum dare poſſit dubitari poteſt: (1) quia *1. F. 1. pr.* nulla planè ejus fit mentio & (2) ipſe ſe ſervum ſervorum profitetur.

X. Sed ad primum cum BL. reſpondemus, quod Papa nomine Archiepiſcopi & Epiſcopi comprehendatur: ita enim vocatur *in can. ult. diſtinct. 21. & can. ſi quis Epiſcopus*

ſcopus 36. cauſa 2. quæſtio. 6. Archiepiſcopi autem & Epiſcopi omninò dicto *c.1. F.1.* recenſentur: Ad hæc nec Imperator dare feuda poſſet, cum nec ejus perſona ibi inveniatur.

XI. Ad ſecundum reponimus, quando Papa ſe vocat ſervum ſervorum, fit hoc magis ex conſuetudine quàm certâ ratione, imò seriò à Pontifice non profertur, quia manifeſtum eſt Pontificis poteſtatem eſſe ſatis amplam: imò ipſe dicit, ſe imperium de gente in gentem transferre, ipſumq; Imperatorem eligere & deponere pro arbitrio poſſe *Innocentius in c. venerabilem 34. extra de Electione*, quæ non ſunt notæ ſervi, ſed potentis Domini *Arum: Diſp. feudal. 3. theſ. 3.* Notandum tamen obiter, Pontificis potentiam fuiſſe aliam tempore Caroli Magni, aliam tempore Henrici IV, aliam eſſe hâc noſtrâ ætate.

XII. In medio gradu ſunt (1) Patriarchæ, vel In gradu medio ut Patriarchę.
Patriarcha autem ſummus vel princeps patrum dicitur: Et ſunt Patriarchæ, qui primum poſt pontificem tenent locum. Et ordo Patriarcharum introductus eſt, tempore concilii Nicæni primi ſeculo tertio. Cum enim de seſſione acris eſſet contentio inter Hieroſolymitanum, Romanum, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum & Antiochenum Epiſcopos, res tandem compoſita eſt, ut Romæ veteris Patriarcha primum in Synodis locum, Conſtantinopolitanus ſecundum, Alexandrinus tertium, Antiochenus quartum, Hieroſolymitano excluſo, obtineret: Et ſic numero quatuor eſſent generales apud quos controverſiarum & Eccleſiarum cognitio & judicatio eſſet: Inde his abſentibus Synodus œcumenica agi non poterat; item uno abſente decreta Synodi ab aliis facta ipſo jure nulla erant: Sed cum inter Romanum & Conſtantinopolitanum de præeminentia acerrimæ agitarentur controverſiæ, deciſum eſt, ut Romanus ab ordine Patriarchatus exclude-

cluderetur, & ejus locum suppleret Hieroſolymitan[illegible], [illegible] tamen ut ultimum ſaltem obtineret locum *c. renovantes 6 c.*

Archiepiſcopi. *definimus 7. diſtinct. 22. Arumæ: d. Diſp 3. th. 4.* (2) Archiepiſcopi: nomine Archiepiſcopi indigitatur ſummus Epiſcoporum h.e. primus & princeps qui tenet vicem Apoſtolicam: quod hi poſſint dare feuda probatur ex *1. F 1.*

Epiſcopi. *pr.* ubi textus ſatis clarus. (3) Epiſcopi: Latinè dicuntur ſpeculatores: de his quin feuda dare poſſint, operoſam probationem neceſſe non eſt addere: expreſſam enim Feudiſtæ deciſionem in *1. F. 1. pr.* conſpicere licet: ſunt enim illuſtres perſonæ, & hoc tempore non niſi in eminentiori dignitatis gradu conſtitutis utpute Ducibus, Principibus &c. ad hoc munus patet aditus: *videatur David Chytræus part. 2. Chronic. Saxon pag. mihi 500.* ubi recenſetur ad quos honos ille per longum temporis intervallum pervenerit in Diœceſi Oſnabrugenſi, Monaſterienſi, Padebornenſi, Hildesheimenſi, Mindenſi, Halberſtadienſi, Verdenſi, Lubecenſi, Raceburgenſi, Suerinenſi, Miſnenſi, Mersburgenſi. Naumburgenſi &c. De dignitate, juribus & juriſdictione Epiſcoporum *videatur Matth. Stephani lib. 3. part. 1. c. 14. de Iuriſdictione.*

vel In gradu infimo ut Abbas. XIII. In gradu infimo collocantur (1.) Abbas: quæ vox patrem denotat: dicitur præfectus monaſterii, qui monachis & Cœnobiis præeſt: hinc etiam dicitur Cœnobiarcha, quaſi in ſodalitate monachorum & Cœnobio principatum obtinens: Hinc magnus eſt honor præfulgere titulo Abbatis, & non niſi qui dignus eſt moribus atq; actibus diſciplinæ monaſticæ in talem eligi debet. Notandum quod quidam Abbates ſint qui ſingulari præ cæteris præeminentiâ & titulo gaudent, vocanturq; Gefürſtete Apte / eò quot jura Principum habeant, omneſq; actus juriſdictionis territorialis exercere poſſint, uti Fuldenſis, Corbeienſis. &c.

Abbatiſſa. (2) Abbatiſſa quæ præeſt monialibus ad minimum ſexagenaria virgo: ita enim diſpo-

nit,

nit. *c. invenculas 12. cauſa 20. quæſt 1.* ne levitas ingenii juvenilis noceret publico decoro & honeſtati: illis talis qualis in moniales competit juriſdictio: poſſunt enim moniales ab officio & beneficio ſuſpendere ſi inobedientes fuerint: quod feuda dare poſſit probat *pr. 1. F. 1.* (3) Præpoſitus: Præpoſitus idem ac œconomus, h.e. qui proventus Eccleſiaſticos adminiſtrat. *d. loco.*

XIV. Occurrit hîc apparens quædam contrarietas inter *princ. 1. F. 1. & pr. 1. F. 6.* Sed cardo totius rei conſiſtit in explicatione illius vocabuli Tituli. *Hottoman. in lexic. de verbis feudalibus* dicit: Tituli erant primò certæ ſedes clericis attributæ in quibus ſuum munus exercerent: poſtea eo nomine prædia iis ad victum cultumq; adſignata appellabantur: quæ alienari Vrbanus Pontifex vetuit *1. F. 6.* quoniam proprio patrimonii jure ad Eccleſiam ſpectant: Res autem quas quis in ſua poteſtate non habet, illas in feudum dare nequit: qui enim quid in feudum dare vult, is rerum ſuarum liberam debet habere adminiſtrationem. *2. F. 3.*

XV. Poſt Eccleſiaſticas ſequuntur Laicæ, de quibus etiam dicendum: ubi parùm refert num ſint Mares vel fœminæ. vel Laicæ & hæ ſunt vel Mares

XVI. Mares dant feuda vel intuitu alicujus Superioritatis, vel nullius. Et hi ſunt conſtituti in ſuperioritatis gradu.

XVII. Superioritatis autem gradus tres conſtituemus: alius ſit Supremus, alius medius, alius inferior. vel Summo ut Imperator.

XIIX. In ſupremo gradu conſtituimus Imperatorem, qui inter mundi principes omnium maximè præfulget: inde feudum illum dare poſſe, poſitum eſt extra omnem dubitationis aleam: videatur tex: *1. F. 7.* ubi Imperator dicitur Princeps & *2. F. 34.* ubi dicitur Rex, & uterq; textus Imperatori dat feudum concedendi

pote-

poteſtatem: Imperator etiam principium & ſcaturigo eſt omnis liberalitatis, ejuſque proprium eſt munificentiam & liberalitatem exercere quæ ob id neceſſaria, ut ſubditos faciat devotiſsimos, ut & bellorum & pacis tempore ad quævis pericula prompti & præſtò ſint: Inde videmus Imperatorem Oceano comparari, ab eo enim dicunt, omnes liberalitates, dignitates, juriſdictiones, feuda, nobilitates & privilegia fluunt ac refluunt, ac veluti à fonte in alios derivantur: Et BL. aſſerit *Conſil. 333.* jurifdictiones ac dignitates penes Imperatorem reſidere, ut ſcabellum pedum ſuorum.

XIX. Duæ hîc incidunt quæſtiones momentoſæ: quarum altera, Num Imperatoris poteſtas in tantum extendenda ſit, ut feuda imperio aperta reinfeudare? altera Num rem ſubdito auferre & alii in feudum dare poſſit?

XX. Ad primam reponimus, quod nullum planè habeat dubium quoad Electoratus, textum enim expreſſum videre licet *in A. B. c. 7. n. penult.* Verba conſtitutionis ſunt iſthæc: Si verò aliquem ex hujuſmodi principatibus ipſorum imperio ſacro vacare contingeret, tum Imperator ſeu Rex Romanus qui pro tempore fuerit de ipſo providere debebit & poterit, tanquam de re ad ſe & Imperium legitimè devoluta &c. alia autem feuda majora Imperio aperta propter capitulationes ſatis expreſſas reinfeudare nequit. Verba capitulationis Caroli V. & Ferdinandi II. libet aſſcribere: Wann auch Lehn dem Reich vnd vns bey zeit vnſer Regierung eröffnet vnd ledig heim fallen würden / ſo etwas merckliches ertragen / als Fürſtenthumb / Graffſchafften / Herrſchafften vnd dergleichen / die ſollen vnd wollen wir ferner niemand verleihen auch niemands einige exſpectantz oder anwartung darauff geben / ſondern zu vnterhaltung des Reichs / vnſerer vnd anderer nachkommenden König vnd Käyſer behal-

behalten/ einziehen vnd incorporiren. biß ſo lang daſſelbe wieder zu Weſen vnd Auffnehmen kompt. *vide Schleidan. de ſtatu religionis lib. 1. pag. m. 12. ubi capitulatio Caroli V. Lundorpium lib. 4. c. 82. pag. 541. & lib. 6. c. 154. & pag. 1077. & 1085. ubi capitulatio Ferdinandi II. capitulationis verba Invictiſſimi noſtri Ferdinandi III. articulo 32. ita habent: Feuda maiora imperio aperta, Coronæ attribuat, neq; de hu, Salvo tamen cuiuslibet iure, alium inveſtiat.* Et licet Imperatores ad id præſtandum teneantur, faciatque hoc multum ad vires Imperii ruinam quaſi minitantis, colligendas, contrarium tamen obſervatum teſtantur exempla Caroli V. & Ferdinandi II.

XXI. Ad ſecundam dico, quod indiſtinctè hoc aſſerere abſonum planè foret, cum contra boni principis eſſet officium: quare qui adhibitâ diſtinctione hanc quæſtionem decidunt, rectius mihi videntur facere: aut enim ſubeſt juſta cauſa, aut non ſubeſt: Iuſtam cauſam appello favorem publicæ utilitatis: hâc enim ſuadente Imperator juſto atque convenienti pretio Domino rei refuſo rem ſubdito adimere & alteri in feudum dare poteſt. Videatur *L. 5. ff. de decretis ab ordine faciendis*, ubi dicitur, quod ſemel ordo decrevit non oportere reſcindi Divus Hadrianus Nicomedenſibus reſcripſit, niſi ex cauſa, hoc eſt, ſi ad publicam utilitatem reſpiciat reſciſſio prioris decreti. Sine juſta autem cauſa regulariter jus alteri quæſitum princeps auferre non poteſt, niſi juſtitiæ normam excedere velit: ad officium enim boni principis pertinet curare ne dilectionem proximi offendat, aut juſtitiam violet, neve tempeſtatis potius quàm poteſtatis plenitudine utatur: ita enim præclarè monuit *Zaſius Conſil. 10. n. 7. volum. 2.* id dicimur poſſe, quod honeſtè poſſumus: nam quæ contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt *L. 15. ff. de condit. inſtit.* Et Imperator à Deo conſtitutus eſt ut faciat juſtitiam & judicium: quare ſi fines juſtitiæ excedat peccat contra ordinationem Dei & nomine Imperatoris indignus. Notandum

tamen, ſi quis ſit nimis moroſus, ita ut nullo modo adigi poſſit ad traditionem proprietatis, quod invito res, refuſo tamen pretio, auferri poſsit: favor enim publicus privatæ utilitati præferendus *c. imperialem 2. F. 52. & 55. pr.*

XXII. Reges ſuperiorem non recognoſcentes itidem feuda tàm dignitatum quàm alia rectè concedunt, utpote ſunt Rex Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ &c. hi enim ſuperiorem neminem recognoſcunt præter Deum & enſem; & plus juris in ſuis Regnis, quàm Imperator in Imperio habent, cum ipſi Regnum ſucceſſionis ordine ad hæredes ſuos devolvant, huic verò non niſi per electionem ſeptemvirorum Imperii quiſquam ſuccedit. *Andr. de Iſern. c.t. in pr. n.11. Matth. de Aff. n.69. de his qui feuda dare poſſunt. Schrad. p. 4. c.1. n. 44. 45.*

XXIII. Regibus æquiparantur Electores VII.
Moguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis,
Atq; Palatinus Dapifer, Saxo enſifer, atq;
Brandeburgenſis Claviger, Pincerna Bohemus.

Muller. 1. ſemeſtr. c. 40. n. 1. de variis titulis & encomiis, itē præeminentiâ Electorū vide *Limnæ. de iure publ. lib. 3. c. 2. n. 3. & ſeqq.*

XXIV. Ad hunc ſuperioritatis gradum etiam referimus illas Reſp. quæ ſuperiorē non agnoſcunt: Nam & hæ in territoriis ſuis jura majeſtatica habent, & eodem jure, quo Imperator in Imperio, fruuntur: quales ſunt Reſpub. Veneta & ſimiles *Arumna: Diſp. 3. theſ. 13. & Curtius Iunior p. 2. de feudo laicorum n. 8.*

XXV. In Medio gradu ſunt (1) Duces: fuêre autem propriè & principaliter Duces qui ſtrenui & rei militaris periti aciem inſtruebant exercitumque ducebant; die ein Heer führeten oder demſelben als das Haupt vorzogen: quos hodie Feldtherren / FeldtObriſte / General vocamus: unde à communiori illa denominatione Ducum als HeerFührer remanſit noſtrum Hertzog / vide Hottom. *in verbis feudal. vocabulo Dux.* Hodie poſtquam imperii facies mutata eſt, ac ejus ſtatus in aliam formam abiit,

omnia

omnia officia olim temporalia, nunc perpetua & ad heredes tranſitoria ſunt: Exinde Dux habetur ille, qui de Ducatu ab Imperatore eſt inveſtitus h. e. cui regionem aliquam quæ Ducatus nomen & Characterem habet impreſſum, conceſſit, der mit einem Hertzogthumb oder Fahnlehn investiret iſt. (2) Marchiones: horum ſignificationem originariam ſi perpendamus, Marchio alius non eſt, quàm præfectus limitibus regionis cujuſpiam: Vocula enim Marck limitem denotat: Hinc Marchiones ſunt Comites limitanei, qui Romani Imperii finibus tuendis erant præfecti, & aſsiduè ad imperii limites excubabant in armis, cumq; finium curam agerent, ſimul populis quos armis defendebant contra hoſtes, jura dabant: *Peucer. in Chron. lib. 5. de ſtatu Imperii poſt Frideric. II.* Hodie Marchio dicitur, qui de Marchia h. e. feudo cum Regali dignitate ab Imperatore inveſtitus eſt: Et quamvis hodie Marchiones limitum defenſores amplius non ſint, nomen tamen ipſis ex conſuetudine permanſit integrum: Multos ante hæc tempora licuit numerare Marchiones: hodie precipui ſunt Brandeburgenſis, Miſnenſis, Badenſis, Moraviæ. *Matth. Stephan. de iurisdict. lib. 2. p. 1. c. 4. n. 11.* Qui hodierno tempore uſitato nomine Margravii dicuntur. Hos ſequuntur Pfaltzgravii ſive Comites Palatini: qui olim fuêre judices ſeu præfecti palatij Cæſaris Richter des Kayſerlichen oder Königlichen Hoffs à Palatio ita dicti: Hodie Comites Palatini dicuntur illi, qui inveſtiti ſunt de regione quæ in Palatinatum (zu einer Pfaltzgraffſchafft) erecta eſt: quales in Imperio Romano hodie ſunt Elector Bavarus, Bipontinus, Neoburgicus, Simmerienſis, Laurecenſis, Luzzelſteinenſis & Birckenfeldenſis, quorum dignitas patrimonialis & ad heredes tranſitoria. *Nolden de ſtatu Nobil. c. 8. n. 156.* Primum ſibi vendicat locum inter omnes hoſce Palatinos Palatinus Rheni, qui & ſimul Elector Imperii ac præ aliis Regni Proceribus ſingularibus corruſcat privilegiis, quæ videri poſſunt in *A. B. c. 4. §. 3. & apud*

Marchiones.

Pfaltzgravij.

Speidelium in notabil. iuridico-hiſtorico polit. vocabulo Pfalsgraff/

Landgra-vii. Landgravii; dicuntur provinciarum præfecti, qui toti alicui provinciæ præſidebant: Hodie ad cæterorum ſimilitudinem ordini Principum imperii annumerati ſunt, eodemq; titulo ac nomine adhuc utuntur: numerantur autem horum potiſsimùm quatuor: Landgravius Thuringiæ, (quo titulo hodie utuntur omnes Duces Saxoniæ) Landgravius Haſsiæ, Landgravius Alſatiæ, Landgravius Leuchtenbergenſis. vide *Peucer. lib. 5. Chron. p. 199. & ſeq. Matth. Steph. de iurisdict. lib. 2. part. 1, c. 4. n. 111. Speidel. in vocab.* Land-

Burggravii graff. *Limnaeus de iure publico lib. 4. c. 4. n. 78.* Burggravii: Comites qui in civitatibus jus dicebant: quatuor horum enumerantur: 1. Norimbergenſis: 2. Magdeburgenſis: 3. Stromburgenſis: 4. Reineccenſis: *Speidel. d. loco in voce*

Comites. Burggraff. (3) Comites: olim comites dicebantur qui proconſules & præſides in provinciam abeuntes tanquam publicorum negotiorum adminiſtri ſequebantur *L. 16. ff. de offic. præſid. L. 19. § fin. ff. locati*: Secundum autem hodiernum ſtatum Imperii noſtri Comites propriè ſunt; qui de Comitatu inveſtiti ſunt, ac inter ſtatus Imperii cooptati: itaque hodie eſſe Comitem Regalis eſt dignitas.

vel Inferiori ut Valvaſores majores. Barones. XXVI. In gradu inferiori collocantur Valvaſores majores: inde dicti quod ad Valvas Dominorum cuſtodiæ & reverentiæ cauſſa ſtare ſoleant: *Andr. de Iſern. in c. un. de his qui feuda dare poſſunt*: BL. majores Valvaſores appellat Barones: Baro autem hodie virum dignitate prænobilem ſignificat, quique de Baronatu inveſtitus eſt; Linguâ Germanicâ in decretis Comitiorum variis nominibus appellantur: Dicuntur enim (1) Freyen: (2) Freyherren/ (3) ſemper Freyen ut Barones Limpurgici & VVeſterburgenſes (4) ſimpliciter Herren, ut Barones Rußi Herren zu Plawen/etc. Vocantur etiam Edle Herren/ ut Comites Mansfeldenſes, Edle Herren zu Heldrungen/ Grafen vnd Edle Herren zur Lippe/ Grafen vnd Edle Herren zu Diepholt/ Grafen vnd Edle Herren von Spiegelberg/ Edle Herren

von

 Ad Valvaſores majores referendi Nobiles nominatiores: dicitur autem Nobilis quaſi noſcibilis, quod præ reliquis debeat eſſe notus & clarus *Tiraquell. de nobil. c. 2. n. 11.* non enim fruſtrà apud Germanos Aquila, illuſtre illud Romani Imperii inſigne de ſuo nomine nobilibus partem & dignitatem communicavit; ſed quemadmodum aquila omnium aliarum volucrum Domina & Regina volatu altius penetrando omnes alias aves longo poſt ſe relinquit intervallo: Ita & hi virtutis gloriâ rerumq; optimè geſtarum laude & celebritate mortales reliquos longe antecellere debent.

Nobiles nominatiores.

XXVII. Et hi ſunt qui in aliquo ſuperioritatis gradu conſtituti feuda dant: in nullo autem ſuperioritatis ſtatu verſantur, & feuda concedunt; Valvaſores minimi vel Valvaſini, ut ſunt Plebei & pagani, quibus omnibus feuda dare jus feudale permittit: 2. F. 3. Dummodo ſint Domini rerumq; ſuarum liberam habeant adminiſtrationem.

vel In nullo ſuperioritatis gradu conſtituti ut Valvaſores minimi vel Valvaſini.

XXIIX. Hinc quæritur à Dd. An ruſticus bona ſua allodialia in feudum dare poſſit? quod cum communi Feudiſtarum ſchola affirmandum cenſemus: licet *Loriottus in Comment. feud. tit. de his qui feuda dare poſſunt, verſ. March. & Duarenus c. 6. feudor.* contrarium ſtatuant. Primo enim non debet cui plus licet, quod minus eſt, non licere *L. non debet 21. ff. de R. I.* ſed unusquiſque privatus & ruſticus rem ſuam poteſt transferre in alium pleno jure: nihil enim tàm conveniens eſt naturali æquitati, quàm voluntatem Domini rem ſuam in alium transferre volentis, ratam haberi. *§. 40. Inſt. de R. D.* E. multo magis poterit ruſticus in feudum rem ſuam alteri concedere, cujus proprietatem atq; Dominium retinet. Deinde traditur regula quod omnis qui legitimè bonorum ſuorum adminiſtrationem habet, poſſit dare feudum *2. F. 3.* E. & ruſtici: Tertio

omnis qui non prohibetur poteſt dare in feudum vel ſimil. *Intrig. quæſt. 3. n. 8.* atque ruſticus nullibi prohibetur: Et hæc communiſsima opinionum: quàm etiam uſu ſervari teſtis eſt *Vultel. lib. 1. c. 3. n. 14. in fine.* Verum cum æquè fortes rationes pugnent pro negativa tutiorem eligit viam ille, qui reſpectu cujuſq; loci conſuetudine hanc controverſiam decidit.

vel Fœminæ.

XXIX. In enumeratione perſonarum ſecularium dictum, quod tàm mares quàm fœminæ poſsint dare feuda: abſoluto jam jure marium, conſiderandum An etiam hoc jus dandi feuda fœminis competat? quod illis denegandum non arbitror: *per c. inveſtitura 5. ſed & verſ. fœminam 2. F. 3. Guilelm. Hanned. c. 8. lib. Blarerus c. 4. n. 5. Iacob. de Ardizon. c. 11. & Vult. c. 3. n. 9.* Conſuetudine etiam receptum fœminas feuda dare poſſe; & ſunt muliebris regiminis & bellicæ expeditionis exempla plurima laudatiſsima, multæ auditæ & viſæ Reginæ fortes, cautæ, caſtæ, quæ virilibus curis fœminarum vitia exuerant, ut ait *Tacitus lib. 6. annal.* Exemplo nobis ſit Semiramis Nini uxor, quæ poſt obitum mariti mentita ſexum virilem, magnas res geſsit, quarum amplitudine ſuperatâ invidiâ, quæ eſſet, faſſa eſt, quemve ſimulâſſet: nec hoc, inquit *Iuſtinus lib. 1. pag. m. 3. & 4.* regni dignitatem ademit, ſed admiratione auxit: quod mulier non fœminas modò virtute, ſed etiam viros anteiret: hæc AEthiopiam regno ſuo Aſſyrio adjecit: Indiæ bellum intulit, quò præter illam & Alexandrum Magnum nemo intravit. Hujc non abſimilis Regina Tomyris, quæ mortuo marito Medorum Regem Cyrum cum exercitu Perſarum innumero fudit. de qua *Iuſtinus lib. 1 pag 12.*

XXX. Hactenus de perſonis quæ feudum dare poſſunt; videndum jam de iis quibus non eſt feudum dandi poteſtas: ita enim ſuperiorum uberiorem habebimus explicationem, ſi namque cognoverimus qui prohibentur feuda dare, rectius per contrarium intelligemus

gemus quibus permiſſum eſt feuda dare. *arg. pr. Inſtit. de his qui ſui vel alien.*

XXXI. Dictum autem eſt ſuprà theſi 5. quod feudum rectè dare poſſint omnes, qui rerum ſuarum liberam habent adminiſtrationem: quapropter novi feudi inveſtitura non ab alio rectè fiet, niſi ab eo, qui legitimè bona ſua adminiſtrare poteſt: qui enim (inquit Feudiſta *2. F. 3.*) qualibet ratione aliquid de rebus ſuis impeditur alienare, is ne per feudum poterit inveſtituram facere. Quænam perſonæ ad feudū dandum non ſint habiles

XXXII. Dare autem feudum prohibentur quidam Naturâ, quidam Lege. Prohibentur Quædam Natura ob Defectum Animi, ut Infans Furioſus Mente captus.

XXXIII. Naturâ prohibentur vel ob defectum Animi vel Corporis.

XXXIV. Ob animi defectum prohibentur feuda dare, Infans *§. pupillus 9. Inſt. de inutil. ſtipulat.* Furioſus & mente captus. *L. in negotiis 5. L. 40. & L. ubi non voce 124. ff. de R. I.* notandum tamen cum *Mynſing. 2. obſ. 41.* Furioſorum in LL. noſtris duo dari genera: Vnum eorum qui in perpetuo furore ſunt & continuâ mentis alienatione omni intellectu carent *L. 14. ff. de off. præſidis. L. 22. §. ſi maritus ff. ſoluto matr. L. 12. §. natura ff. de iudic.* alterum quorum furor intermiſſus eſt & dilucida habent intervalla, ſive inducias *d. §. ſi maritus L. 6. C. de curat. furioſ.* Hos feuda dare ſtatuimus, illos non item.

XXXV. Ob Corporis defectum Mutus & Surdus: quod tamen verum eſt de iis qui quid agatur non intelligunt: nam ſi intellectu non carent, habiles ſunt ad feudum dandum *L. qui id quod 33. §. mutus. 2. de donationi. L. ubi non voce 124. pr. de R. I.* ubi ſatis apertè & clarè proviſum Ob Defectum Corporis ut Mutus & Surdus.

ſum eſt, quod mutus & ſurdus (qui intellectu non deficitur) in omnibus negotiis, ubi non eſt opus ſermone, depote in donatione, emptione, locatione & ſimilibus intervenire poſſit. *L. in quibuſcunq; 48 ff. de O. & A.* idq; nominatim de donatione expreſſum eſt, infeudatio autem eſt ſpecies hujus *c.un. §.fin. 2.F.23.* Et regulæ puto ſtandum donec contrarium vel exceptio demonſtretur. Regula autem eſt *2. F.3.* eos qui rerum ſuarum alienationem habent, infeudare non prohiberi: quare cum mutus & ſurdus res ſuas alienare poſſint. *per L. in quibuſcunq; 48. ff de O. & A.* conſequenter etiam in feudum dabunt.

XXXVI. Perſonæ quæ prohibentur feuda dare Lege ſunt vel Eccleſiaſticæ vel Seculares.

Quædam Lege & hæ ſunt vel Eccleſiaſticæ ut Monachi,

XXXVII. Inter Eccleſiaſticas ſolus excipitur Monachus: quia concedens feudum debet etiam bona habere & eorum legitimam adminiſtrationem *2. F.3.* Sed Monachi dum ingrediuntur monaſterium ſe ſuaque dedicant Deo, neque amplius ſunt Domini rerum ſuarum, *auth: ingreſſ. C. de SS. Eccleſiis.*

Vel Seculares illæ ſunt vel ſui juris & Reguntur arbitrio alieno ut Prodigi,

XXXIIX. Seculares ſunt vel ſui vel alieni juris.

XXXIX. Perſonæ ſui juris vel reguntur arbitrio alieno, vel non reguntur.

XL. Arbitrio alieno reguntur 1. Prodigi quia illi tradere nihil poſſunt *L. cui bonis. 6. ff de V. O.* Dicitur autem prodigus, qui neque tempus neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilapidando & diſſipando profundit: ita enim depingitur ab Vlpiano *L. 1 ff. de Curat. furioſ.* hic aſſimilatur furioſo, & nullam habere voluntatem intelligitur *L. 40 ff. de R. I.* Et olim Prodigus ſicut furioſus ex *L. 12. tabb.* in curatione agnatorum erat. *§. furioſi Inſt. de Curat. verb. 12. tabb. ita habent*: Si furioſus exiſtit aut prodigus, agnatorum in eo pecuniaque

que ejus jus eſto. Hodie prodigo à prætore curator
conſtituitur & interdictio bonorum fit his verbis:
quia bona paterna habitaque (habita antiquo
modo avita dicuntur) nequitiâ tuâ diſperdis,
liberoſq; tuos ad egeſtatem perducis, ob eam
rem tibi eâ re commercioque interdico: factâ
ſic interdictione, prodigus furioſo aſsimilatur. *Borsch.*
de pactis pag. m. 101. & 102. Bocerus de inveſtitura feudi pag. 153. Et
talem hîc intelligimus prodigum, qui ſcil. magiſtratus
decreto talis eſſe declaratur & de hoc verum eſt, quod feu-
dum neque de novo dare, neque antiquum renovare poſ-
ſit; ratio quia omni deſtituitur voluntate *L. 40. ff. de R. J.*
ejuſque imbecillitas in rebus agendis pronum damnum ſe-
cum trahit, unde & furioſum quoad bona ſua exitū facere
dicitur *L. hi qui. 12. §. 2. ff. de tutor: & curator. datis ab his &c.*
Minores 25. annis: qui feuda de novo non conſti- Minores 25. annis.
tuunt *2. F. 3. pr. L. 1. ff. de minor.* etiamſi tutorum vel cura-
torum accedat authoritas & conſenſus. Hæc opinio li-
cet prægnantibus impugnetur rationibus tamen commu-
niter recepta eſt; (1) quia feudum conſiſtit in rebus immo-
bilibus vel quæ inter immobiles referuntur, quarum alie-
natio ſine judicis decreto fieri nequit *L. 1. pr. & §. 2. L. 3. §. 1.*
t. t. ff. de rebus eorum qui ſub. tutel. & t. t. C. de prædiis & aliis
rebus minor. ſine decreto non alienandis: (2) omnis etiam
alienatio bonorum curatoribus in hibita *t. t. ff. de admi-*
niſtrat. tutor.; & (3) Curæ finis ut minorum bona conſer-
ventur non diſtrahantur, quod fit ea in feudū dando, dict.
t. infeudatio enim eſt donatio quædam *1. F. 7. verſ. feudum*
enim & 2. F. 23. §. fin. & donatio eſt alienatio; ratio quia vox
alienationis in jure feudali latiſsimè accipitur, & is dici-
tur alienare jure feudali, qui Dominium vel jus aliquod

feudali noviſsimo Vaſallus ſine Domini conſenſu feudum nullo pacto alienare poſsit nec in totum nec in partem propter conſtitutiones Lotharij & Friderici Impp. *2. F. 52. & 55. Bocerus de inveſtitura feudi c. 3. n. 4. & Schneidevv. p. 5. n. 83.*

XLI. Antiquum autem feudum minor cum curatoris conſenſu, ſi habet, renovare poteſt, ubi nihil alienat, ſed quod jam alienatum eſt confirmat *2. F. 3. pr.* Nam (1) jus rerum adminiſtrandarum non competit pupillo aut minori, ſed illorum tutori vel curatori *L. ſciendum 20. de R. N.* Renovatio autem ſpectat ad rerum adminiſtrationem quia per veterem feudi inveſtituram cedit Vaſallo juſta poſſeſſio feudi prius ſucceſsione vel præſcriptione acquiſiti (2) Per renovationem inveſtituræ non tantum Dominus obligat ſibi Vaſallum, ſed etiam viciſsim Vaſallus obligat ſibi Dominum, quamvis ſine juramento fidelitatis *2. F. 6.* Pupillus autem ſive minor ſeſe obligare nequit abſque conſenſu tutoris *L. quod pupillus 41. de condict. indeb. L. 59. de O. & A. L. 9. pr. ff. de auctor. tutor* E. nec feudum renovare ſine tutoris conſenſu. (3) Pupillus ſive minor abſque conſenſu tutorum vel curatorum Conditionem facilè redderet deteriorem. Nam cum renovatio inveſtituræ peti debeat intra annum & diem *c. un. §. fin 2. F. 52. & 55. in pr. §. præterea*; fieri poteſt, ut poſt id tempus Vaſalli ſucceſſor eam urgeat, nec pupillus vel minor per hoc cum feudo privandum ſciat, utique gravi afficitur damno, ſi feudi renovationem faciat, cum propter hanc ceſſationem ſibi id reſervare debuerit *Arum. Diſp. 3. theſ. 24. Schneidvv. in Epitom. feud. p. 3. n. 32. Hottom. in c. un. pr. per quos fiat inveſt.* ubi dicit probabilius eſt veteris feudi inveſtituram fieri à pupillo ſine tutore authore non poſſe, quod à feudiſta ſine vitio prætermitti non potuit.

Vel non reguntur arbitrio alieno ut Tutores & Curatores.

XLII. Perſonæ quæ alieno arbitrio non reguntur ſunt 1. Tutores & curatores: qui ut ex præcedentibus apparet, vetus quidem feudum renovare

poſſunt

poſſunt, novum autem aperire nullatenus *Schneidvv. p. 3. n. 86.* cum datio in feudum ſit ſpecies donationis, quæ ijs utpote patrimonij diminutio non conceditur: officium enim tutorum & curatorum eſt res minorum adminiſtrare, ejuſque intuitu Domini quodammodo loco habentur *L. tutor. 27. ff. de admiſt. tutor.* 2. Procuratores; nam hi quoque feudum conferre nequeunt *L. 63. ff. de procurat.* niſi vel mandatum ſpeciale acceperint, *d. L. 63.* vel eis generaliter libera adminiſtratio rerum commiſſa ſit *L. 58. ff. de procurat*: Inveſtituram tamen facere poſſunt *per text. 2. F. 3. §. ſed utrum ipſe.* aliud autē eſt feudum dare, aliud ejuſdem inveſtituram facere: illud reſpicit ipſam feudi conſtitutionem, hoc conſtituti & jam promiſſi feudi poſſeſsionis traditionem *vide Bocerum de Inveſtitura feudi pag. 166. Schneidvv. de feudi p. 3. n. 87. & 88.* 3. Maritus qui prædia dotalia in feudum dare nequit: licet enim maritus horum prædiorum ſit Dominus *pr. Inſt. quibus alienare licet*: tamen ne quidem conſentiente uxore ea alienare poterit *d. pr. Inſt. quibus alienare licet vel non licet & L. 4. ff. de fundo dotal. propter L. Iuliam L. 1. §. 15. C. de rei uxor: act. Hottom: in comment. feud. 2. F. 3. verb. ſuorum bonorum.* Et tantum de perſonis ſui juris.

Procuratores.

Maritus.

XLIII. Alieni juris perſonæ ſunt vel in poteſtate Dominica vel Patria.

Vel alieni juris & ſunt in poteſtate Dominica ut Servi.

XLIV. In Dominica ſunt Servi: qui nihil proprii habent *§. 3. Inſt. per quas perſonas.* pro mortuis habentur, & obligari non poſſunt. *L. 22. ff. de R. I.*

XLV. In patria poteſtate ſunt filii familias, qui regulariter feudum concedere non poſſunt, quia nihil proprii habent: Fallit tamen in peculio Caſtrenſi L. 3. C.

Vel Patria ut filiifamilias.

dam perſonæ quæ feudum accipiunt.

quens eſt, ut & de iis pauca diſſeramus quæ accipere poſſunt: fruſtrà enim darentur feuda, niſi eſſent qui acciperent.

Perſonæ feudū accipientes quomodo vocentur.

XLVII. Varia autem habent nomina perſonæ feudum accipientes: Vocantur enim Vaſalli *2. F. 14.* quæ vox unde derivetur variæ Dd. ſunt ſententiæ: *videatur Petrus Mindanus de mandatis & monitoriis iudicialibus lib. 2. cap. 42. pag. mihi 290. Bercholt. c. 2. n. 15. & alii plures.* Nos Hottomannum ſequimur qui *diſput. de feudis c. 3. & in comment. de verbis feudalibus.* Vaſalli vocabulum exiſtimat eſſe diminutivum, & deducit à primitivo Vaſſus, quæ vox clientem denotat qui pro beneficio accepto fidem ſuam auctori beneficii obligavit *Hottomannus d. loco.* Deinde milites. *1. F. 19. 23.* fideles. *1. F. 1.* Clientes. *2. F. 10.* à Feudiſtis Homologi, Exercitati, beneficiati, infeudati, Germanicè ein Lehnman/ Lehengetrewer.

Perſonæ feudum accipientes conſiderantur.

XLIIX. Perſonæ feudum accipientes conſiderantur 1. ratione Sexus 2. Ætatis 3. Conditionis & 4. Qualitatis.

XLIX. Hinc notanda eſt regula: Feudum omnes accipere poſſunt, qui expreſsè non prohibentur, cujuſcunq; ſexus, ætatis, conditionis aut qualitatis ſint. *2. F. 3. §. perſonam verò: Mozz. de his qui feuda dare poſſunt. n. 27. verſu: videamus. VVeſenb. c. 1. n. 5.*

1. Ratione Sexus ut Fœminæ,

L. Vnde Sexus ratione fœminæ feudum hodie accipere poſſunt: probatur hoc per *c. un. 1. F. 8. 1. F. 24. 2. F. 17. & 2. F. 30.* Sanè ſi primæva illa feudorum origo altius conſideretur, quâ feuda nihil aliud erant, quàm jura belli atq; militiæ contemplatione conſtituta, liquidò inde conſtabit, hanc quæſtionem limitibus aliquantò anguſtioribus olim, quàm nunc ſit, circumſcriptam fuiſſe: prorſus enim qui belli muneribus explendis non eſſent apti, feudorum capaces non erant: Hodie autem quin etiam fœ-

minæ

minæ feuda accipere poſsint, nulla amplius eſt dubitatio, non ſolum quod hoc ita ſit receptum uſu, ſed etiam quod ad id textus feudales ſint expreſsi: Nec adverſatur quod fœminæ ad militiam ſint ineptæ, & ſecretâ retinere ſecum neſciant: quia ſibi Dominus debet imputare, quod talibus perſonis ſcienter feudum conceſſit, maximè cum gratiam poſsit facere cui vult.

LI. Feudum etiam accipere poteſt Hermaphroditus: juris enim aperti, ſatis etiam hactenus demonſtratum, tàm maſculos, quàm fœminas feuda accipere poſſe, ideoque ſive ad fœmineum ſive ad maſculinum accedat ſexum parum refert. Hermaphroditus.

LII. Quoad ætatem rectè accipit feudum 1. Infans per tutorem vel curatorem *arg. L. 18. §. 2. C. de iure delib.* quod hujus conditio reddatur melior non deterior, quod omni juri conſentaneum *§. 9. Inſt. de inutil. ſtip. l. 32. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* ratio autem quod per tutorem rectè accipiat eſt, quod infans non intelligat quid agat *L. in negotiis 5. ff. de R. I.* 2. major infante & ſolus & cum tutore, ut notârunt interpretes *ad §. ſi minori. 2. F. 26.* pupilli enim meliorem ſuam conditionem facere poſſunt ſine tutore, deteriorem non aliter, quàm ſi tutoris auctoritas acceſſerit *§. 1. Inſt. de auctor. tutor.* Idem dicendum de puberibus qui cum curatoris authoritate & ſine authoritate curatoris feudum accipiunt *vide §. ſi minori 2. F. 26.* Non obſtat quod ejuſmodi perſonæ juramentum præſtare non poſsint; quia vel pacto in totum poteſt remitti, *2. F. 3. in fine 2. F. 24. § eſt & alia.* vel differtur in annum 14. *d. §. ſi minori.* Idem dicendum de ſervitiis *Boreh. de feudis c. 5. n. 46.* 4. Ratione ætatis ut Infans. Infante major.

LIII. Conditionem quod concernit parum refert an accipiens ſit liber vel ſervus. 5. Ratione conditionis ut Li-

nam verò. Notandum tamen (1) quod ſi Dominus ſciens proprio ſervo dat feudum, tacitè ei libertatem tribuere videtur: ſicut quando eum inſtituit hæredem *§. ſervum autem 1. Inſt. de hered. inſtit. & L. 31. pr. ff. eod.* & hoc modo ſervus ſibi ipſi acquirit feudum: Si verò Dominus ignoraverit eum eſſe ſervum, credens eum liberum vel libertum, non valet infeudatio propter errorem conditionis perſonæ inveſtitæ: ſicut & talis error impedit matrimonium *c. 2 extra de coniugi. ſervorum,* & errantis nullus eſt conſenſus *L. non idcirco C. de iuris & facti ignor.* (2) notandum, quod ſi Dominus alieno ſervo dat feudum fit illud (1) aut contemplatione ipſius ſervi, Domino ſciente & non contradicente, & tunc ſervus habebit feudum & etiam libertatem, quia per patientiam Domini ipſius ſervi, videtur ei tacitè data libertas: aut (2) fit illud contemplatione Domini & feudum acquiritur ipſi Domino: ipſe enim ſervus qui in poteſtate alterius eſt nihil ſuum habere poteſt: quare ſi ita facta eſt inveſtitura, ut feudum ipſe ſervus & non Dominus ejus habeat, inutilis eſt illa inveſtitura, quia ſervus (uti dictum) nihil proprii habere poteſt, quare nobis acquiritur quod ſervi noſtri ex traditione naniſcentur, ſive quid ſtipulentur, vel ex donatione, vel ex legato ſive ex alia qualibet cauſa acquirant *§. item Inſtit. per quas perſonas nobis acquir.:* aut (3) dubium eſt an contemplatione Domini vel ſervi feudum ſit conceſſum, & tunc præſumitur quod contemplatione Domini ſit datum. *Matth. de Afflict. in §. perſonam 2 F. 3.*

Sui juris
alieni juris

LV. Item Si Liber accipiens feudum ſit ſui vel alieni juris nihil intereſt, quia & filiofam. feudum rectè dari poteſt *Borch. c. 5. n. 47. de feudis.*

LVI. De illo autem eſt dubium, ſi FilioFamilias feudum concedatur num uſusfructus patri acquiratur? Caſus talis eſt: Dux Brunſvvicenſis Titio filio qui adhuc in patris poteſtate eſt concedit feudum; quæritur an pater habeat uſumfructum in tali feudo, donec filius poteſtatem ejus egrediatur? quod negandum ſequentes ſuadent

ratio

ſationes (1) feuda cenſentur eſſe peculium caſtrenſe vel quaſi: dantur enim contemplatione militiæ *c. eſt & alia 2. F.7.* ſed uſusfructus peculii caſtrenſis pertinet tantum ad filium non ad patrem *L.3. C. de Caſtrenſi pecul. lib. 12. & §.1. Inſt. per quas perſonas cuiq;* & (2) ſi filius ratione obſervantiæ & obſequii incommoda & onera ſuſtinet, iniquitatem redolebit, ſi non & commodum inde ſentiret, videatur etiam (3) *c. un. 2. F. 23. in fine.* ubi dicitur quod uſusfructus rei feudalis tranſeat ad accipientem hæredeſque ſuos maſculos: atque filiusfamilias eſt accipiens, non pater. E. Hac generali definitione vult feudiſta, ut uſusfructus rei feudalis conceſſæ tranſeat ad filiumfam: non ad patrem. Et tandem (4) ſi uſumfructum feudi filius acquireret patri ſuo, tunc tranſiret feudum ad aſcendentes; ſed hoc prohibetur *2. F. 50. pr.*

LVII. Feudum accipere poſſunt tàm Nobiles quàm ignobiles. Nobilis Ignobilis.

LIIX. Etiam Clerici id enim patet ex *c. un. § final. 2. F. 40.* ubi dicitur quod clerius propter culpam feudum amittat. E. antea habuit & quidem jure permittente: Privatio enim omnis præſupponit habitum *Arum. de Diſp. 3. theſ. 42. Schrade: p. 4. c. 3. n. 7. & alii ibi allegati.* Clerici.

LIX. Item Monachus: quamvis enim nihil proprii habere poſsit, tamen ſi illi feudum concedatur ad exemplum ſervi, hoc monaſterio acquiritur: Notandum tamen ſi reſpectu monaſterii feudum conceditur, tunc perpetuò manet: ſi autem intuitu monachi tantùm, tunc ſaltem ad feudatarii vitam *Arum, Diſp. 3. Feudal. theſ. 41. Schrad. p. 4. c. 3. n. 7.* Monachus

LX. Dictum ſupra feudum accipere poſſe Omnes cujus etiam qualitatis ſint: hinc quid per qualitatem 4. Ratione qualitatis.

LXI. Hinc quæritur: An iſtiuſmodi accidentia feuda accipienti obſtent? Videbatur dicendum quod ſic, quia hæreticus feuda quæ jam habet ipſo Iure amittit, Vult.1.f.11.n.60. Et reliqui obſequia & ſervitia Domino debita præſtare nequeunt: Nam tempore neceſſitatis militari operâ Domino adeſſe non poſſunt; ceſſante itaque causâ ob quam feudum datum eſt, feudum meritò ceſſare debet: 2. F. 24. verſ. ſed. non eſt.

LXII. Verùm diſtinguendum hîc: aut enim Dominus iſtarum perſonarum vitium ſcivit, aut ignoravit: ſi ſcivit Vaſallum naturâ talem eſſe, beneficium feudi in prædictas perſonas collatum valet; ſibi enim Dominus imputabit, quod talem ſibi Vaſallum elegerit, cum gratiam cui velit, facere poſſit L. in re mandata 21. C. mandati. & Dominus perſonis iſtis, ſi per ſe commodè ſervire non poſſint, ut per ſubſtitutum ſerviant, permiſiſſe cenſetur. Si verò ignoravit tunc inveſtitura hæc in præjudicium Domini non valet.

[illegible]TICA NA[illegible] ROMA

F I N I S.